

(28)

A L T A R I A

D. M I C H A E L E M,

V E T U S & N O V U M ,

*publice luci exponit,
infimulque*

habendæ Orationi Valedictoriæ,

I L L U S T R I C U R I A N O ,

**Die Mercurii proximo, XX. Novembris, statim ab ipsis Sacris
matutinis,**

A. d. I. LXXXIX,
gratissimam

P r o c e r u m C u r i a n æ U r b i s

p r æ s e n t i a m , m a j o r e m i n m o d u m e x o r a t

M. JO. C H R I S T O P H. L A Y R I Z.

Gymn. Patrii Rector.

Minzehano.

ARARUM seu altarium Originem longè esse antiquissimam, neminem, nisi in sacris pariter & profanis Historiis planè sit hospes, latere potest. Non enim audimus HERODOTUM, qui, in Euterpe, Aegyptios primos Βαυάς καὶ αἰαλυμαῖς καὶ υπὸ θεοῖς struxisse, tradit, & hoc in asserto, COELIUM RHODIGINUM (L. 18. Le&t. Antiqu. c. 37.) οὐ πότερον habere videtur. Eò id referendū, quod istud, cum omnium primos natos se gloriantur illi, (JUSTIN. l. 2. c. 1.) recidit, inter fabulas scilicet, quas antiquitatis gloriae vana suggesit ambitio. Sacra certe Pandectæ dum Sacrifici Caini & Abelis memorant, ararum originē haut obscurè simul subinnuunt, quam Noæ & posteriorum pietate erectæ reddunt clariorem. In N T., an primitiva Christi Ecclesia eà altarium pompa fuerit exornata, quæ moderna resplendet, cōtroversa inter nos & Pontificios est quæstio; Negativam nostris tenentibus, & quæ de aris in tribus prioribus seculis memorantur, ad mensas Eucharisticas ritè accommodantibus, illis, pro more, contrà nitentibus, & Origenem Tertullianum, Cyprianumque vi in sententiam suam detorquentibus, ut Argentoratensis olim Ecclesiæ & Academiæ, post Wittenbergensis, sed proh dolor! breve gaudium, D. Basilius BEBELIUS, in Antiquitatib. Ecclesiæ Sec. III. art. VIII. §. 50. nervosè ostendit. Interim squalor illorum temporum, quod facies Ecclesiæ Christi, tyrannorum metu, erat obducta, haut impedit, quod minus & nunc vel ejusmodi externis ornamenti condecoratio apparere queat, quæ enim nobis ex altera parte hic necit retia Calvini cohors, κακοζηλίας & alios objiciens errores, scopæ sunt facile solubiles, & à Theologis nostris, cum primis B. DANNHAUERO, Phantasm. VI. Hodom. Spirit. Calvin. §. 71. jamdudum dissolutæ.

Haut ergo vitio vertetur inclutæ Urbi nostræ CURIAE, si, tum Majores nostri de exornando nitide D. MICHAELIS nostri Templo, elegantioris picturæ arâ, fuerunt solliciti, tū moderni Proceres splendidioris structuræ pariter & picturæ Altare, in veteris remoti locum

cum reposuere. Merentur utraqve, ut curatiū paulò ea lustre-
mus, qvæ ipsa causa fuit, qvur in lustratā VIIImā suprà p. 157. Ca-
pellā, Veteris descriptionem in hunc locum rejecerimus.

Quatuor id alis instructum, elegantissimè pictis, tantōqve
artificio auro passim distinctis, ut peritissimorum hodie in Arte
pictoriā magistrorum aut peritiam, aut minimum industriam vin-
cere videatur. Ut autem honori *D. Michaēlus Archangeli, Petri*
itidem & Pauli Apostolorum, nec non Nicolai Episcopi & Impe-
*ratoris Henrici, vulgò Sandicognominati, fuerat statutum, sic ho-
rum Patronorum faciem interior illius media exhibet area, ita ta-
men, ut *S. Laurentius*, Veteris Parochialis Ecclesiæ Patronus, ultimi
locum, aliquot post tempora, sit sortitus, cuius sinistram, cruce pue-
rorum spoliasse ferunt petulantiam.*

Dextræ alæ interiori Conceptionis Christi Annunciati-
onem, Virgini Mariæ factam, appinxit Apellis penicillus, qvi u-
trum virulentò *Valentinianorum, Mærcionitarum & Cerdonianorum, Sec.*
II. Hæreticorum, statuentium: Christum ex Mariâ Virgine verum cor-
pus non assumisse, sed carnem suam de cœlo unde attulisse, & per ipsam, quasi
canalem, in hunc mundum natum esse, errore fuerit infectus, aut utrum
*familiari pictoribus audendi quodlibet potestate, ut ipsum con-
ceptionis, cum annunciatione factæ, momentum exprimeret, Je-
susum puerulum per Mariæ caput in uterum ejus illabentem sti-
terit, qvā licentia quoqve ipsius Spiritus S. ἐπίλευσι expressissime
conspicitur, haut facile determinaverimus.*

Sinistra Ala Nativitatem Christi florentissimis coloribus ex-
hibet, in qua nati pueruli venustas, cum parentum devotione an-
gelo, umqve expresso gaudio certare videtur. Clausis his alis,
quod Quadragesimali annuatim factum tempore, dorsum ultra-
rumqve, nec non alas binas exteriores, primariis tribus Passionis
Dominicæ Actibus, Lucta nempe ad olivetum, crucifixione ipsa,
suhlatione è cruce & illatione in sepulchrum, ac deniqve crucifixi
resurrectione, videris inducta, qvæ quamquam omnia & singula,

non fugitivos, sed atrivis illas mercantur oculos, sola tamen nos parum per adhuc teneat rarius fortè crucis Christi epigraphæ, quæ triplici idiomate exarata, ita tamen, ut quodlibet non sensum, sed ipsissimos characteres & apices horum verborum: IHSUS NASARENUS REX IUDÆORVM, referat, quasi Auctor credidisset, Pilatum Latina verba triplici exarâsse linguarum charactere. Præterea Græcæ literæ nostram planè fugiunt ætatem, ut Widemannus haut male ex vetustissimo aliquo monumento, suggestione Doctoris Hertindi de STEIN, transumas ominetur; quam utramq; ob causam in gratiam φιλολογούσις hic quoque, manu Discipuli exsculptam hanc inscriptionem asservare placuit.

**פָּזָס נְדִירֵז סְרִיקָס יַדְאָרִים
אֶלְעָנָס תְּבָנָה כְּתָבָה שְׁמָנָה
וְתְּבָנָה כְּתָבָה שְׁמָנָה**
IHS NASARENVS REX IVDEORVM

Extremitati exterioris sinistram alæ annus est adscriptus, quod ara hæc posita, verbis: Nach Christi Geburt im MCCCC LXV, Tare/ ist dieses Werk gesetzet worden. Si primum ejus, templum nondum ad Orientem productum, investigaveris locum, ad initium chori, ubi minor nunc comparet ara, substituisse WIDEMANNUS refert, usque dum cum Templum A. 1486. capacius redderetur, orientalius factum hoc altare. Nomen insignis certè artificis, interiori dextræ alæ, in fimbriâ vestimenti Mariæ, inter verba: MARIA INTEMERATA VIRGO, apparet, ex Pictoris olim nostris, Jo. Hegenbergeri, relatione tradit idem Chronographus, quod tamē cum ipse exsculpare haut potuerit, nostros èò faciliùs fugit oculos.

A veteri hoc Altari nunc ad Novum transimus, quod in principe Chori hodierni loco, inter utrasque columnas ulteriores, non

autem



auri tantum & colorū fulgentissima luce, sed & sculpturæ insuper
 præstantiâ, & immensæ magnitudinis mole, qz. enim scilicet pedes
 geometricos à fundamento ad summitatem exæqvat, præ multis
 exsplendescit. Ut autem hujus historiam pariter & figuram in com-
 pendio exhibeam, sciendum: Utriusque Reip. Patres pro cæ, qvâ
 in honorem Dei piorumqve devotionem atendam & augendam
 seruntur curâ, A. 1673. consultâsse, de novo aliquo statuendo alta-
 ri, qvô pulcherrimi Templi venustati nova fieret accessio. Cùm
 autem, antequā opus incipias, de mediis & sumtibus in illud cro-
 gandis prius sit deliberandum, collatis invicē sententiis, B. Superin-
 tendentens, Dn. L. Jo. WALTHER, & Amplissimus SENATUS Urbicus
 id iniere consili, ut quod in universitate Ecclesie nostræ cessurum e-
 rat decus & gaudium, liberali quoqve singulorum ejus membro-
 rum in unum conferretur manu. Quam in rem singulis Domi-
 nicis & diebus festis, pelvim coram altari reponi placuit, in quare
 symbola sua conjicerent, qui sacra Synaxi usi, ab ara recedunt,
 quantum cuiqve sua juberet devotio, qvæ liberalitas ut populo
 Domini à publico suggesto commendata, sic gratiarum actione
 publicâ pariter & votis fuit excepta. Profecit in tantum hoc
 studium, cui aliæ quoqve liberales manus, & morientium, aut hæ-
 redum dispositiones tulere suppeditas, ut brevi sumtus suppeterent
 operi inchoando, hinc qui arte statuariâ polleret, & operi par-
 eset, qvæsus & inventus Nicolaus HEUSSLERUS, cuius industria,
 per triennium operosa, stupendum hoc opus perfecit, ut mensibus
 Septembri, Octobri, Novembri & Decembri A. 1679. Altare omnibus par-
 tibus absolutum publicè fuerit positum. Sed quod cum pictura ni-
 tor ei decesset, Patrum non delassatæ curæ, qvin potius assidua Ma-
 xime Reverendi ac Pre-Nobilissimi Dn. Superintendentis moderni à W AL-
 DECK, cui Waltherus brevi manu piâ avælûta operi subtrahens
 locum fecerat, studia, laudatissimis SENATUS conatibus juncta,
 coronidem operi manu pictoriâ superaddiderunt. Commodavit
 istam Georgius Christophorus KOLBIUS, Pictor Baruchinus, qvi cum la-
 boris

boris socio, *Io. Jacobo RADIO*, mense Junio 1685. picturam incepit,
Decembri verò 26. absolvit, & publicè luci exposuit. Ædilitiam cu-
 ram freqventer inspiciendo, procurando & rationes in librum re-
 ferendo, Recip. Patres per Virum Senatorem dexterum, *Dn. Chri-
 stophor. Salomonem WUNSCHOLDUM*, voluere obitam, ita tamen, ut
 socios ferè omnes nullibi non conferrent oculos. Sumtus, ut nô-
 rint posteri, & deprædicent æmulenturq; Majorum suorum in-
 res. Sacras liberalitatem, solius quidem Sculpturæ 656. confecere
 florenos; Picturæ impensa si his junxeris, à duorum millium & centum
 florenorum summà parum abesse demonstrabitur. Refundat beni-
 gnissimum Numen, quod largiter rependit domui suæ collata, sin-
 gulis erogatam liberali manu stipem, & præstitum fidei corde la-
 borem, truculentaq; ignis à nobis avertat fata, ne dirus Vulcanus
 unquam tot annorum hauriat labores.

Superest nunc, ut Statuarii pariter & Pictoris æmuler solertiam,
 & utriusque labores presiùs depingam. Sed, qvì possem singula,
 qvem sive stereobatam spēctem, mensæ lapideæ innixam, cui to-
 ta incubit moles, singula Dominicæ Passionis instrumenta, ab angelis
 præmonstrata, detinent; Sive infima in basi proximè impositam
 contignationem examinein, viva institutæ Cœna Dominicæ expresio,
 cum consistentibus ad latera binis Evangelistis, Matthæo & Marco, ex
 dñyuari agnoscendis, hisq; interposita elegantissimarum Columna-
 rum, scapis testudineo flexu artificiose tortis, & capitulo parue &
 spiris, mirum in modum exornatis, duo paria me delectant; Sive
 in mediâ affabre sculptam, & à reliquis duobus Evangelistis à latero
 cinctam, statuisq; rursus interstinctam, (qvibus Antepagmento-
 rum loco in Projecturâ imæ contignationis, Angeli appositi, SERE-
 NISSIMI Insignia à Dextrâ, & Curiane Urbis à Sinistra tuentes,
 Virtutesq; Theologicæ Patientia & Spes, Fœmineo habitu con-
 vestitæ) introspiciam, omnia ejus sunt generis, quæ plures, eosq; ve
 indefessos merentur oculos. Tertiō superiùs tabulato Angelicus
 prostat Chorus, palinis & instrumentis Musicis in laudem Dei in-
 stru-

Atru&⁹, cœlestis istius quasimulcus, quem cœlum tegit stellis interius coruscum & tecto testudineo squamato exteriū involutum, cuius umbilico *Iesus resurgens*, cum labaro, majori quam tricubitali staturā incubit, serpentem mundumq; suis conterens pedibus, rotumq; opus obsignans. Non comine moro *Telamones*, qui ad imum aræ, molem lateralem suffulciunt, similes Atlanti, quem fulcire mundum fixit vetustas; quæ omnis, & infinita alia miranda occurunt in novo hoc Altari, quod Michaëlis nostri Aedes superbit. Est eqvidem & aliud minus, in medio Templi, proximè ad ipsum baptisterium, sed istud præter affixam Christi Crucem, nullò aliò se prodit ornatu. Impertiendæ autem benedictioni Sacerdotali & conjugibus noviter copulandis inservit, ut alterum majus distribuendæ Sacrae Synaxi.

Tantum etiam de *Aris & Altaribus D. nostri MICHAELI* Templi, quod hujus in gratiam recensuimus, qui aram gratitudinis tum Deo, tum Patronis suis, in Gymnasio nostro est positurus, Civis nempe haeten⁹ illius, literis bonisq; moribus omni fide innutritus,

DAVID FRIEDERICUS HOFFMANN,

Altheimio-Francus.

Qui cum Dn. Pater ejus, *Vir Plurimam Reverendus & Praeclarissimus Dn. JO. CASPAR HOFFMANNUS* Neostadio ad Ayssum, ubi Archi-Diaconatu omni cum laude functus, in vicinam Parochiam Oberkɔzavensem Pastor commigraret dignissimus, e Baruthino Illustri Collegio evocatum nostris transcripsit Musis, & Albo illustrum d. 11. Febr. 1684. inseri fecit, ex quo sedula nunquam cura ingenii ejus agro defuit, quæ & messem non omnino nullam nos lectissimosque pariter Parentes sperare jubet, nisi vitiorum, in juvenili ætate facile propullulantium, infelici loli virtutum literarumque latas suffocari patietur segetes, quod ut à tot precibus monitisq; nostris probè munito votis avertimus, sic Divino nouantum Numinis his ipsis, sed & Bonis quibusvis, propediem in Academiam Jenensem abiturum optimè commendamus, ut studiorū

Vicēq̄e cōfūsū Directores sūnt & Ductores, qvō ad metam, omnīc
bus votis nostris ei conciliandam, felicissimē appellat.

Nunc ut grati pro beneficiis animi texuētis relinqvat, conscen-
det ultimō cathedram, habitæque in laudem Philosophie Theoreticæ
Orationi publicas subjungeret gratias.

Qvas ut in finum gratiæ & benignitatis suæ effundendas co-
rām excipere velint Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. GEORGI-
US ALBERTUS, Marchio Brandenburg. &c. &c., Dominus noster
Clementissimus, ut & SERENISSIMI PRINCIPIS NUTRI-
TII Nostri Ministrissimus, Illustris. Comes ac Dominus, DN. JO.
ALBERTUS, Comes de Ronou & Biberstein, Dn. in Oppurg, Knauen, Kro-
bīz & Grünau &c. Consiliorum Praes Superior, Consiliarium Intimus & Ex-
aribus Provincialis Eminentiss. Dn. noster Gratiōsissim⁹, cum Illustris.
Dn. Comite de TETTENPACH &c. Domino nostro Gratiōsissi-
mo; Maxim⁹ Reverendus itidem & Pra-Nobiliss. Dn. Josephus Frideri-
cus de W ALDECK, in Culmiz & Dæbra-Stæcken &c. Superintendens &
Inspector Gymnasi Gravis. cum Plurimū Rev. Ministerio, Excell. Dnn.
Physicus Ordinarius, Adjunctus & Medici, Consultiss. Dnn. Officiales; Am-
pliss & Prudentiss. Senatus, Gymnasi Patronus & Scholarchæ; Honoratis.
Dnn. College; Clariss. & Pra-Eximii Dnn. Studioſi & Eruditii quivis, hu-
millimè, devotè ac amicè exorantur. Conventui dicta est hora
Diei Mercurii, ab ipsis sacris matutinis currens; & qvō freqven-
tior erit Patronorum præsentia, eō majorem nostram ubi vis ex
adverso spōndemus devotionem ac promtitudinem.

PP. Dom. XXV. p. Trin. A.O.R. 13 Ic LXXXIX.



